

Quae quidem, ut recte ac pro summi negotii gravitate fiant, Institutio quaedam ab eodem Pontifice fuit sancita die XXVIII Januarii anno MDCXXXI, qua et Secretarii S. R. C. partes et Consistorialium Advocatorum Officium in id genus Orationibus distincte, perspicueque praefiniuntur. Cavetur quidem, ut causarum electio ad ipsum secretarium spectet, qui adnotabit in schedula a se subscribenda nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi, tum, ut eidem per octo saltem ante propositionem dies eadem Oratio tradatur emendanda atque accomodanda, si quid adversus ipsius Institutionis praescripta ibidem deprehenderetur. Argumenta insuper, de quibus disserere fas sit, designantur, ne quid temere vel minus opportune apteque proponatur.

Quae quidem omnia S. M. Benedictus XIV. luculenter tradit in praeclaro suo Opere de Beatif. et Canoniz. Sanctorum lib. 1. cap. 35. Verum cum in praesens, quod ferme ex varietate ac perturbatione temporum contingit, ab accurata hujusmodi Institutionum executione declinari coeperit, S. D. N. Pius VII. P. M., pro eo, quo praestat zelo in ecclesiastica disciplina tuenda suorumque Praedecessorum Decretis vindicandis, decrevit, ut praedicta Urbani VIII. Institutio, exceptis septimo et octavo capite, quibus de honorarii tribuendi ratione ac de commissione ab Advocato proponente tenenda agebatur, plene et integre in posterum servetur, ac nemini liceat adversus ipsius dispositionem operari. Quod Decretum Sanctitas Sua infrascripto Secretario mandavit in acta S. R. C. referre, ut ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observetur. n. 4518 die 30. Apr. 1816.

BEDA VENERABILIS.

Vd. *Lectiones de Sanctis* (decr. n. 4044).

BENEDICAMUS.

1) In missa.

Cf. *Ite missa est* (decr. n. 4526).

Ad dubium: an in illis Ecclesiis, quibus ex indulto celebratur festum SS. Conceptionis cum octava, diebus, quibus occurrit, aliquod festum duplex celebratum ab Ecclesia universali de praeepto, canendum sit in fine *Bened. Dom.* de S. M. vel potius de festo duplici? S. C. resp.: *Canendum esse de S. Maria.* n. 2393 die 15. Jan. 1667.

Ad dubium: an in octava B. V. M., quando occurrit aliquod festum, sit dicendum *Benedicamus Dom.* de B. V. vel de Sancto occurrente? S. C. resp.: *Dicendum esse de B. V.* n. 2401 die 5. Mart. 1667.

2) In Officio.

(Quis cantat?)

Vd. *Versiculus.*

BENEDICTINI.

Vd. *Breviar. Benedictinum*; *S. Benedictus*; *S. Scholastica.*

BENEDICTIO.

1) Abbatis.

a) A quo fieri debeat?

Vd. *Abbas.*

b) Quo modo danda ab eo?

Vd. *Bened. cum SSmo*; *Usus Pontificalium*

2) Agrorum.

(Delegatio.)

Vd. *Benedictio* (delegatio).

Ordinarii, quibus diriguntur litterae Apostolicae benedictionis agrorum cum his verbis: *auctoritate nostra benedicis seu benedici cures* in subdelegando deputare possunt sacerdotem ad libitum et non tenentur ad eligendum

digniore. n. 1398 die 28. Junii 1642.

Jus benedicendi campos spectat ad Parochum. n. 2286 ad 4 die 12. Julii 1664.

2) Annuli Nuptiarum secundarum.

Ad dubium: Utrum in Nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio Annuli? Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

„Negative.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 2 die 27. Aug. 1836.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Datur sponsae annulus in Signum mutuae dilectionis eam inter et sponsum, et est tamquam pignus junctionis cordis utriusque, idque ex ipsa eruitur Oratione, quam in dicti annuli benedictione adhibendam praescribit Ecclesia; in hac enim et de fidelitate integra, et de mutua charitate fit mentio, in qua vivere uterque semper debet. Hinc S. Isidorus *de Eccl. Off.* scribit *capite 19.*: *Illud vero, quod in primis annulis a sponso sponsae datur, fit, hoc nimirum, vel propter fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Ideoque non Sacerdos hujus Sacramenti minister, non alius quisque, sed ipse sponsus sponsae digitum annulo ornat. Benedicitur vero annulus, ut omnis fascinatio a connubio amoveatur, et idcirco, cum signum Crucis, benedictio sacerdotalis et aqua benedicta valeant (quemadmodum innuitur in ordine ad faciendam aquam benedictam) ad *effugandos daemones et effugiat* (legitur in exorcismo salis) *omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis.* *Ut fias aqua exorcizata* (legitur in exorcismo aquae) *ad effugendam omnem potes-*

tatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum Angelis suis Apostaticis, et in oratione sequenti, . . . elemento huic (aquae) virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad abigendos daemones . . . divinae gratiae sumat effectum: cum inquam signum Crucis, benedictio sacerdotalis et aqua benedicta ad effugandos daemones valeant, optime sapienterque statuit Ecclesia S. edocta Spiritu, ad pacem in connubiis servandam hunc annuli benedictionem (quae inter Sacramentalia recensetur) instituere et praescribere, et peculiarem orationem assignare, per quam annulus ab omni diabolica fraude, nequitia, versutia, malignitate purificetur. Jam quaeso, cur haec annuli benedictio erit in secundis nuptiis omittenda? Numquid, qui secundo nubunt, pacem non tenentur inter sese conservare? Numquid non amari invicem debent, ut hoc mutui amoris signo debeant carere? Numquid mutuae fidei debito liberantur (ad quam servandam aequae per secundum conjugium adstringuntur, ac si uterque primo nuberet), ita ut hujus fidei inter se servandae symbolico pignore non indigeant? Numquid diversa sunt sui status officia aut matrimonii Sacramentum, quod secundo nubendo suscipiunt, ab aliorum matrimonii Sacramento differt, qui primo illud suscipiunt? Haec quisnam dixerit unquam, aut quamnam inter primas et secundas nuptias differentiam quis unquam potuit afferre, ut hanc annuli benedictionem, quae ad allatos et ab Ecclesia intentos fines instituta est, et peragitur, ab Ecclesiae ritibus excludat, aut omitti debere contendat, tamquam sine fine, sine significatione, sine ad aliquid relatione adhibetur? Arbitrarie ergo nimis, hanc omittens benedictionem, Rubricae verba interpretatur, ab Ecclesiae in-

tentione recedit et finem non agnoscit, quem ipsa, hanc instituendo praescribendoque benedictionem habuit. Alata itaque verba Rubricae: *Sed viduae nuptias non benedicat*: quae non recte interpretando, quidam Parochi, de quibus agitur, prohibitioni benedictionis annuli aptant, alio respiciunt. Siquidem non de omittenda quacumque benedictione in nuptiis illic sermo est, sed de secundis nuptiis non benedicendis, sive de vidua, quae secundum contrahit matrimonium: nimis clara per se sunt ea verba, et nescio quomodo aliter possit quis ea interpretari.

Haec quidem nuptiae benedicendae non sunt: quae prohibitio nova in Christi Ecclesia non est. Nimis fortasse longus in scribendo essem, si illius originem vellem investigare, si rationes, quibus Ecclesia ad hoc statuendum permota fuit, perscrutari, si praxis hujus, quae nostra adhuc aetate servatur, fundamentum inspicere. Omnibus omissis quaeque tamen supervacanea ad rem nostram forent, et quae apud Martenium aliosque veterum rituum scriptores inveniuntur, quaedam indicabo, ex quibus non recta Rubricae verbis data interpretatio patebit, cum ea ex dicendis appareat differentia, quae inter annuli et nuptiarum benedictionem intercedit, per quam istam non vero illam omittendam indigitatur et praescribitur. Ut res clarior reddatur et origo non benedicendi secundas nuptias appareat: apud Paganos, ut testatur Valerius Maximus *lib. 2. cap. 1.* secundae nuptiae intemperantiae argumentum et indicium habebantur, et quasi nefastae considerabantur, hinc Plutarchus in problematibus *problem. 99.* ait: *Felices et faustae sunt primae nuptiae, secundae vero tristes et detestandae*: Martialis alique, alia et his majora addunt. At in christiana Ecclesia al-

teras nuptias Patres numquam damnaverunt, et Ecclesia ipsa semper tamquam vera et indubia Sacramenta retinuit et recepit; matrimonii enim Sacramentum inter liberas personas non prohibuit, licet ob significatum, ut infra videbimus, virginem cum virgine nubere optasset, non inquam secundas nuptias prohibuit, ut contra Montanum et Novatum hac in re definivit Conc. Nicaenum I. can. 8. Hinc est quod secundas nuptias juxta tunc vigentem disciplinam dumtaxat passa est Ecclesia, cujus mentem explicans Hieronymus contra eundem Novatum scripsit ep. ad Marcell.: *Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus*: quod clarius alibi explicat ep. nempe ad Gerontiam ita scribens: *Aliud est, quod vult Apostolus, aliud, quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, meae est incontinentiae, non illius voluntatis.. Duae sunt Apostoli voluntates, una, quae praecipit et altera, quae indulget... vult nos permanere post nuptias sicut seipsum... sin autem nos viderit nolle, quod ipse vult, incontinentiae nostrae tribuit indulgentiam.* Quare ipsamet Ecclesia viduas, quae ad secundas non transierunt nuptias, maxime fecit easque velut Cleri partem habuit, at loquitur Tertullianus *lib. 1. de Uxore*, quem et cum eo alios, quos praetereo, adire quis commode poterit. Hinc juxta veterem disciplinam, certis aliquibus legibus secundae nuptiae inter Christianos, medio praesertim aevo, intra certos limites arctatae erant, et nemini fas erat viduis nubere *absque suorum Sacerdotum, id est Parochorum consensu*, et conniventia Populi, ut decretum est in capitularibus Regum Francorum. Insuper non nisi integro anno a mariti obitu relictae nubere permissum erat, quod praesertim legimus in codice Theodosiano *lib. 3. lit. 8 de secund. Nupt.*: *Si quae ex*

foeminis perduto marito intra anni spatium alteri festinavit innubere... probrosis inusta notis, honestioris nobilisque personae, et decore ut jure privetur, atque omnia, quae de prioris mariti bonis, vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consequuta fuerant, amittat: Et sciat nec de nostro beneficio, vel adnotatione sperandum sibi esse subsidium. Hanc antiquam legem confirmavit Decretalium jure de foeminis *Innocentius III. Decretal. lib. 4. lit. 21. capite ultimo.* Uti autem imperiali edicto viduis subsidia denegata erant, ita eandem tenuit disciplinam Ecclesia, quae ab eleemosyna eas excludebat, *sed et ab eleemosyna Ecclesiae; dum indigna putabatur stipe, quae ad secunda conjugia devoluta erat.* Tandem Ecclesia, etsi secundas pateretur nuptias, secundo nubentibus poenitentiam canonicam imponebat, quam dum illi exsolvebant, sacra carebant communionem. Ea fuit antiquitus Ecclesiae disciplina, ut docent vetustiora Concilia Ancyranum, Laodicoenum et Neocaesareense. Tempus autem hujus poenitentiae, Saeculo 4., quandoque ad annum, quandoque etiam ad triennium protendebatur. Cum autem secundo nupti huic adjicerentur poenitentiae, neque Presbytero licitum erat interesse eorum convivio. Ad liturgica etiam officia quod attinet, aliqua adnotanda sunt; et primo quidem: etsi sponsus viduae, cui spondebat, annulum traderet, tamen (medio potissimum aevo) vidua manum chirotheca quadam tectam habebat, ut Martenius refert: secundo: nulla aderat sacerdotalis benedictio. *Homini enim*, ait Hilarius *comment. in Cap. 4. epist. 1. ad Timot.*, *unam uxorem decrevit Deus, neque enim secunda benedicatur*: quare S. Caesarius sic Christianos sui aevi hortabatur *sermone 289*: *Qui uxorem optat accipere, sicut illa vir-*

ginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo; quia si non fuerit, benedictionem accipere cum sponsa non merebitur. Similia his habentur in Constitutionibus Summarum Pontificum relatis *Titulo XXI. Decretalium: Vir autem.* Urbanus Papa III. Vigiliensi Episcopo rescribens relationem affert, cur secundae conjugum nuptiae non benedicantur: *Quia, inquit, alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.* Audiendus hac in re etiam Durandus in *Rationali lib. 1. Cap. 9: Nuptiae benedicendae sunt a Sacerdote cum precibus et oblationibus, verumtamen vir et mulier ad bigamiam transiens matrimonium contrahendo non debet a Presbyteris benedici*, quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari... Non ergo debent nuptiae benedici, *nisi ubi virgo cum virgine contrahit.* Aliam de hac non impertienda in secundis nuptiis benedictione rationem affert S. Thomas in *VI. Sententiarum Dist. 42. quaest. 3. art. 2. ad 2. nempe: quia secundum matrimonium in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum, habet aliquid de defectu Sacramenti, eo quod non habet plenam significationem, cum sit una unius, sicut est in matrimonio Christi et Ecclesiae, juxta Paulum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico Christi et Ecclesiae.* Hinc ratione hujus defectus (plenae significationis) benedictio in secundis nuptiis non datur. At idem S. Doctor hoc vult esse intelligendum, si secundae nuptiae tales sint ex parte viri et ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum; si enim virgo cum illo nubat, qui aliam habuit uxorem, nuptiae nihilominus benedicuntur; quod habet etiam Durandus citato superius loco. Tali enim in casu sarta quo-

dammodo tectaque significatio in ordine etiam ad primas nuptias, manet, ut idem S. Thomas fusius clariusque explicat, cujus doctrina conformis est et favet quamplurimum his, quae habentur in Rituali §. *Caveat etiam*; in quo haec leguntur: *ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, benedicantur, servanda est: quam quidem consuetudinem sua aetate aliquibus in locis extitisse Durandus testatur: Secundum quorundam locorum consuetudinem, si quis contrahat cum secunda virgine benedictio iteratur, et hoc si Dominus Papa sciat toleret.* Priusquam concludam, aliquid addam quoad liturgiam in secundis nuptiis. Bigami Missae dumtaxat sacro aderant, neque velamine, juxta Isidorum de div. Off. lib. 2. Cap. 19. seu Flammeo ornabantur; ad cujus finem neque coronis (quemadmodum apud Graecos olim) ut cum univiris fiebat, a Presbytero donabantur, qui sane mos apud Graecos servatus est usque ad Copronymi Imperatoris aetatem: cum enim hic Eudoxiam in tertiam uxorem sibi adseverit, eique coronam fuerit elargita, jam tum et bigami coronari coeperunt, quod in Constantinopolitana Ecclesia et paucis aliis Orientis locis peragebatur. Allatus enim nos docet de Consen. Orien. lib. 3. cap. 13. in reliqua Graecia ad suum usque tempus, secundum exactam disciplinam et antiquam consuetudinem bigamos non coronari.

Ubi autem coronabantur, aliquod etiam erat discrimen in corona ferenda. Qui enim virgo esset, in capite, vidua vel viduus in humero coronabantur: atque illa in capite, alter in humero coronam ferebat, ut docet Theodorus Studita epist. ad Maucrat. En in ipsa liturgia differentia inter nuptias viduarum, et nuptias quas virgines contrahebant.

His omnibus de omissione benedictionis, de qua in dubio agitur, expositis, et ex disciplina Ecclesiae et sua origine desumptis, differentia apparet, quae benedictionem inter et benedictionem reperitur. Benedictio in viduae nuptiis omittitur, quia juxta veterem disciplinam omittitur, quia Ecclesia, licet inter personas liberas inita Matrimonia tamquam vera matrimonia, tamquam vera Sacramenta habuerit, tamen virginem cum virgine nubere optasset, neque per hoc secundas nuptias damnavit, aut damnat, quin imo contra Montanistas et Novatianos, qui jure damnati sunt, docet secundas nuptias et posteriores quoque, vere esse nuptias, ac per se licitas atque honestas, et in Montanistarum incideret errores, si quis forte secundas et posteriores nuptias illicitas aut damnandas esse putaret. Omittitur item benedictio haec, quae in secundis nuptiis, juxta D. Thomam, non plena habetur significatio matrimonii cum Christo et Ecclesia. Omittitur denique, quia olim Ecclesia, quae secundas non improbando nuptias, eas non nisi certis legibus et conditionibus permisit, quibus omnibus juxta praesentem disciplinam sublatis, hoc solum statuit, ut nempe viduarum nuptiae non benedicantur. Jam quae comparatio nuptiarum benedictionis cum benedictione annuli, ut ex omissione illarum, hujus etiam benedictionis ommissio debeat inferri? ut, quod Ecclesia de nuptiis dixit, de annuli etiam benedictione id dixisse putandum sit? immo reapse debeat omitti, sicut et illa omittitur? Quae sit causa benedictionis annuli, quid ipsa significet, quid in nubentium memoriam revocet, ad quae illa, amoris, pacis, fidelitatis obeunda munera nubentes provocet, jam vidimus; quae toto coelo ab iis distant, quae de nuptiarum secundarum benedictione omittenda retulimus. Quare cum bene-

dictiones istae inter se comparatae, summopere, quoad omnia etiam differant, cum rationes quas habuit, et habet Ecclesia in omittenda viduarum benedictione, annuli benedictioni aptari prorsus nequeant, cum denique hujus benedictio peculiare habeat ad conjugum respective spirituale bonum procurandum rationes, et finem, numquam sive in primis, sive in secundis, sive in ulterioribus etiam nuptiis omittenda erit.

4) Apostolica.

a) Finita missa pontif.

Vd. Bened. Papalis.

b) Pro Moribundis.

Vd. Bened. cum Indulg. plenaria pro Moribundis.

Ad dubium: Utrum Bened. apost. pluries impertiri possit novo mortis periculo redeunte? S. C. resp.: Ad s. Congr. Indulgentiarum. n. 4782 ad 3 die 27. Aug. 1836.

5) Aquae.

(Antiquitas.)

Vd. *Aspersio aquae bened. in dom.* (Officiat. decr. n. 4672 nota ad finem).

6) Aquae baptismalis.

Vd. *Benedictio Fontis; Aqua benedict. in hebdom. maj.* (decr. n. 4669 nota).

7) Aquae

(ab Episcopo assist. facienda).

Vd. *Episcopus assist. missae sol.* (Bened. aquae); *Aqua bened. in hebdom. maj.* (decr. n. 4669 nota).

8) Archiepiscopi.

a) In sua Provincia.

(Cf. Nuntius Apostol.)

Archiepiscopus, antequam sit populo benedicturus, opportune per unum ex Canonicis vel per Ministrum caeremo-

niarum, Nuntium, in Episcopali tamen dignitate constitutum, ex sua humanitate invitet ad benedicendum; qui tamen hujusmodi reverentiae sibi oblatae significatione contentus, benedicere omnino recusabit, ne acceptando jurisdictionis episcopalis libertatem impedire vel sui Patris ac Pastoris benedictione populum privare videatur. n. 44 ad 5 die 16. Febr. 1593.

Archiepiscopo licet per Dioeceses Suffraganeorum dare benedictionem praesente Episcopo suffrag. n. 2611 die 3. Dec. 1672.

b) Extra Provinciam.

Archiepiscopus non audeat in alia quam sua Provincia populum benedicere per vias. n. 834 die 18. Aug. 1629.

9) Campanarum.

(Officiat.)

Vd. *Benedictio (Delegatio); Usus Pontif.; Bened.* (param., a Dignit. etc. facienda).

Non licet Episcopo Majoricen. delegare benedictionem campanarum, omissa unctione, personis ordine Episcopali non insignitis. n. 3134 die 19. Apr. 1687.

Vicario generali delegari non potest consecratio campanarum, et facta re-integranda, quatenus fieri possit sine scandalo. n. 3663 ad 2 et 3 die 22. Sept. 1703.

EICHSTADEN.

Dum hoc ipso vertente anno IV. Kal. Maji Rmus. Eichstadenensis Episcopus Apostolico augebatur Indulto subdelegandi sibi commissos Sacerdotes in aliqua Ecclesiastica Dignitate constitutos ad benedictionem Nolarum, quae pro usu Ecclesiarum satis amplae suae Dioeceseos recenter fundebantur, attamen sub expressa clausula, ut Sacerdotes ipsi omnino adhererent formam in Pontificali Romano praesciptam,

super hoc ipso Indulto plura adhuc requirenda censuit, ut dandae ab hac S. Sede Apostolica Declarationes cuiusque anxietati viam integre praecludant. Quocirca ejusdem Rmi. Episcopi nomine SSmo. D. N. Pio Papae IX. sequentia exposuit R. D. illius Dioecesis Vicarius Generalis:

1. An liceat Sacerdoti ab Episcopo subdelegato ad benedictionem Nolarum, quum debeat formam servare in Pontificali Romano praescriptam, unctiones adhibere?

2. In casu negativae responsionis quaeritur: an ritus ad istam Benedictionem in Pontificali Romano praescriptus mutilato modo adhiberi debeat, adeo ut Orationes illae quae ad unctiones pertinent, omnino omittantur?

3. In casu responsionis affirmativae denuo quaeritur: an ritus Nolarum benedicendarum fortasse sic instituendus sit a Sacerdotibus subdelegatis, ut conformis ritui in Pontificali Romano esse videatur, juxta quem 1.: *Psalmi* 50, 53, 56, 66, 69, 83, 129, primo recitandi, tunc ceteris *Psalmis* et *Orationibus*; omissis; 2.: *Oratio Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in nave etc.*, 3.: *Nola vel Campana cum Aqua ab Episcopo benedicta aspergenda, et imposito in thuribulo thymiamate incensanda sit?*

4. In casu responsionis negativae quoad hanc formulam benedicendi, iterum quaeritur: quomodo formula seu ritus ab Episcopo ordinandus sit, ut tunc servetur forma in Pontificali Romano praescripta?

5. An liceat Sacerdoti ad hoc deputato benedictionem solemniter etiam cum Diacono s. vestibus induto, qui in fine Evangelium solitum canat, agere, quia actus sollemnis tantum privilegium Episcoporum esse videtur?

6. In casu negativae responsionis quaeritur: an tunc Sacerdos ipse Evan-

gelium istud canere vel prorsus omittere debeat?

Et quum Sanctitas Sua ad relationem subscripti S. R. C. Prosecretarii mandavit ut propositis quaestionibus responderetur juxta alias decreta; hinc:

Ad 1. „Affirmative.“

Ad 2. „Provisum in primo.“

Ad 3. „Provisum et nil omittendum.“

Ad 4. „Ex praemissis non indigere.“

Ad 5. „Affirmative, quoniam in Indulto id comprehenditur in verbis, servata forma Pontificalis Romani.“

Ad 6. „Provisum in praecedenti.“
N. 5189 die 23. Junii 1853.

10) Candelarum.

Vd. *Purificatio B. V. M.*

11) Cappellae.

Vd. *Benedictio Oratorii; Bened. Ecclesiae.*

12) Cardinalis Diaconi.

Cardinales Diaconi possunt in suis Diaconiis solemnem benedictionem super populo impertiri in actu visitationis Diaconiae necnon dum solemnibus Missae assistunt, non celebrante tamen Episcopo. n. 2455 die 15. Sept. 1668.

13) Causa et Effectus.

Vd. *Bened. Sacerd. extra Missam* (decr. n. 4782 nota).

14) Cum s. Chrismate.

(Cf. *Abbas; Usus Pontif.*)

Vicario generali delegari non potest consecratio et benedictio rerum, in quibus unctio s. Chrismatis intervenit, et facta reintegranda est, quatenus fieri possit sine scandalo, praeterquam quoad vasa s. jam adhibita. n. 3663 ad 2 et 3 die 22. Sept. 1703.

15) Cinerum, cand. etc. a Regularibus facienda.

Patribus conventualibus in eorum Ecclesiis cineres, palmas et candelas

benedicere licet, sed non processionem facere extra ambitum et claustrum eorum Conventus in casu nisi de licentia (parochi) vel probata formiter consuetudine. n. 3626 ad 1 — 4 die 8. Apr. 1702.

Vd. *Cineres.*

16) Concionatoris.

Vd. *Concionator* (bened.)

17) Cerei paschalis.

Vd. *Cereus paschalis.*

18) Communione finita.

Vd. *Bened. SS. Sacramenti* (communionem finita); *Bened. SS. Sacr. in pyxide*; *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 nota).

Ad dubium: 1. An consuetudo benedicendi Populum cum Sacra Pyxide, quoties Eucharistia distribuitur, sit servanda, vel potius, an benedicendus sit populus manu dextera tantum, uti habetur in Rituali Romano, et in una Urbinaten diei 16. Januarii 1793?

2. Et quatenus affirmative ad primam partem, an tunc dicendum sit: *Benedicat vos etc.*? S. C. resp.:

Ad 1. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta Rituale Romanum et Decretum Urbinaten diei 16. Jan. 1793.“

Ad 2. „Jam provisum in primo.“

Atque ita servandum mandarunt, die 23. Maji 1835. n. 4748.

19) Crucis.

a) Jus.

Archipresbyterum de licentia Episcopi posse facere benedictionem crucis positae in eminentiori loco ad evitandas grandines, fulgura et tempestates. n. 764 die 7. Aug. 1628.

Fratres Minor. Observant. Refor. s. Francisci Montis Politioni non possunt sine licentia Ordinarii portare processionaliter crucem illamque benedicere et plantare extra eorum claustrum,

Decreta authentica.

etiam in fundo et re propria. n. 2379 die 18. Sept. 1666.

b) Estne de praecepto?

Cruces altarium et processionum non sunt benedicendae de praecepto et potest simplex sacerdos eas benedicere private. n. 3697 ad 1 et 2 die 12. Julii 1704.

20) Delegatio.

Vd. *Benedictio agrorum* (deleg.); *Benedictio campanar.* (Officiator).

Ad dubium: 1. an Episcopus utendo ordinaria facultate possit aliis in Dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi s. indumenta et alia, in quibus juxta rituale rom. s. chryisma non adhibetur; seu potius hanc delegationem Episcopus etiam ad campanarum benedictionem ampliare valeat?

2. An quatenus ad eandem delegationem ap. requiritur Indultum, istud sit concedendum Episcopo, ut in locis praecipuis et nobilioribus suae Dioecesis eo in numero presbyteros in dignitate constitutos ad hoc opus eligat, quot aestimet sufficere pro omnium Ecclesiarum Dioecesis indigentia? S. C. resp.:

ad 1: Non posse;

ad 2: Posse concedi in forma solita. n. 4159 ad 5 et 6 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: an illi, quibus facultas s. suppellectiles benedicere, in quibus s. unctio non adhibetur, delegata fuit, benedicere possint imagines D. N., B. V. M. aliorumque Sanctorum, Tabernaculum, in quo asservatur SSmm., Pyxidem et generaliter omne illud, in quo s. unctio non adhibetur? S. C. Episcopo Calaguritano indulsit per viam novae declarationis eandem facultatem subdelegandi benedictionem omnium quorumcunque ad Divinum Cultum spectantium, in quibus s. unctio non adhibetur. n. 4290 die 17. Maji 1760.

Vacante Sede Episcopali, si nullus Episcopus *Salmaticae* vel in viciniis commoretur, *Vicarius capitul.* ad benedictionem Ecclesiae pollutae, dummodo utatur aqua a viciniore Episcopo benedicta, potest procedere. Episcopo vero causa aegritudinis vel absentiae a sua Dioecesi impedito, nulloque alio Episcopo occurrente vel accedente, *Vicarius gener.* et quatenus ipse sacerdotali caractere non sit insignitus, prima Dignitas ejusdem Capituli, habita prius ab Episcopo licentia in Scriptis et cum aqua pariter ab eodem Episcopo benedicta et in casu necessitatis, eandem benedictionem potest peragere. Quae omnia S. S. *pro casu, de quo agitur tantum valitura, et in exemplum non adductura*, indulisit, quibuscunque in contrarium non obstantibus. n. 4307 die 12. Dec. 1761.

Ad dubium: An Superior Ordinis s. Joannis de Deo plerumque Saecularis possit subdelegare suos Alumnos Sacerdotes pro benedictione Sacrae Suppellectilis? S. C. resp.:

Et Sacra Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata rescripsit: „Negative.“ Die 16. Aprilis 1834 n. 4725.

21) Dignitatum et Canon.

(Modus).

Vd. *Abbas*; *Protonotarius apostol.*; *Benedictio cum SS* (Dign. celebr.); *Usus Pontif.* (decr. n. 4585, 4696 et alia).

Praepositus alicujus Ecclesiae non potest tuta conscientia etiam attenta immemorabili consuetudine pontificali more populo benedicere, nisi constituto sibi de speciali Sedis ap. indulto. n. 1834 die 4. Aug. 1657.

Canonici celebrans mitratus Cath. Panormitanae non potest uti trina benedictione in fine Missae. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Ad dubium: an post missas, vespas aut Matut. in pontif. celebratum,

possint Dignitates et Canonici Metrop. Urbinat. sol. dare benedictionem dicendo: *Sit nomen etc.* seu: *Benedicat vos etc.* cum unico seu trino signo crucis? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam cum unico signo. n. 4224 ad 6 die 29. Jan. 1752.

Item non possunt trinam dare benedictionem, quando induti sunt mitra aliisque paramentis ad instar abbatum, etiamsi missas et vespas in Pontificalibus non celebraverint.. *Ibid.* ad 8.

22) Domus et Monasterii.

Ad Dubia: 1. An expleta per Parochum benedictione domorum possit per vice-Parochum fieri secunda benedictio in casu etc.? Et quatenus negative.

2. An dicta benedictio fieri possit per vice-Parochum quoad Parochianos illam requirentes in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Negative in omnibus et amplius.“ n. 3945 die 15. Mart. 1721.

BISINIANEN.

Quum hodiernus Archipresbyter Terrae Lutiorum Dioecesis Bisinianen. S. R. C. sequens Dubium pro opportuna solutione proposuerit, nimirum: „Num Diaconus Superpelliceo et Stola indutus possit, de consensu Parochi, benedicere Domos in Sabbato S.? Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die habito, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuerunt: „Negative.“ n. 4757 die 8. Aug. 1835.

Non possunt Regulares in Sabb. s. benedicere domos laicorum. S. C. C. 23. Nov. 1619.

Nequeunt Regulares benedicere domos Dioecesis in hebdomada s. S. C. C. 2. Julii 1620.

Non licet parochis benedicere in

hebdom. majori seu in octava Paschatis Resurrectionis cum stola vel sine domos alteri parochiae subjectas, invito hujus parcho. S. C. C. 17. Jun. 1719.

Parochis nullatenus licet in Sabb. s. benedicere collocutoriis aut januae *Monasterii* Monialium Ordinario subjectarum vel hospitio Tertiiorum connexo. S. C. C. 23. Aug. 1727.

Ad benedicenda Monialium *Monasteria* et cellas die Sabb. s. aut quolibet alio tempore est omnibus prohibitus in clausuram ingressus. S. C. C. 13. Sept. 1583; S. C. Ep. 4. Septbr. 1596.

23) Duplex est.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 nota).

24) Ecclesiae.

Vd. *Dedicatio Ecclesiae etc.*; *Consecratio altaris* (decr. n. 3762); *Ecclesia benedicta*. *Benedictio Ecclesiae non celebratur*, Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies incerta* (decr. n. 4688 nota ad finem.)

25) Elevatio manuum.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 nota).

26) Episcopi

a) Assistentis.

Vd. *Episcopus assist. missae sol.* (bened.)

b) In altari,

(in quo est SS. Sacram. impositum).

Benedictionem esse dandam per Episcopum cum mitra, sed laudabilius esse reponere SS. Sacramentum in alio altari. n. 1115 ad 4 die 22. Januarii 1639.

Vd. *Tabernac. in Cath.*

c) Antiquitas.

Vd. *Bened. Sacerd. extra missam* (decr. n. 4782 nota.)

d) Super Canonicos.

Vd. *Episcopus assist. missae sol.* (*Salutat et benedixit Canon.*)

Ad dubium: An Episcopus semper debeat manu benedicere Canonicis ceterisque de Clero, qui in sacris functionibus ei reverentiam faciunt? S. C. resp.: „Danda est dum ascendit ad Thronum, vel ex eo descendit, post Circulos, et quotiescumque Canonici collegialiter obsequium praestant Episcopo.“ n. 4669 ad 19 die 12. Nov. 1831.

e) Genuflexio Canon. Cathedr.

Vd. *Episcop. assist.*; *Concionator*; *Canonici Cathedr.* (genufl.); *Genuflexio cor. Episcopo*; *Benedictio papalis* (genufl.)

Non teneri Dignitates et Canonicos ad benedictionem Episcopi genuflectere sed tantum caput inclinare. n. 473 die 4. Maji 1613.

Ad Benedictionem Episcopi solemniter celebrantis praeter Dignitates et Canonicos *Cathedral.* reliquos omnes teneri genuflectere. n. 887 ad 2 die 7. Dec. 1630.

Ad benedictionem Episcopi Dignitates et Canonici *Cathedr.* non teneri genuflectere, sed tantum caput inclinare et *assistentes pariter et servientes* eidem Episcopo non teneri genuflexos ministrare. n. 1442 die 18. Apr. 1643.

Dignitates et Canonicos non esse cogendos nec teneri in habitu ordinario genuflectere ad benedictionem Episcopi, quando ad aliquam Ecclesiam invitatus in habitu ordinario incedens populo solemniter benedicit. n. 1633 die 2. Mart. 1652.

Instante Episcopo Majoricen. pro concessione Remissoriae ad probandam consuetudinem immemorabilem contrariam S. C. resp.: *Remissoriam esse denegandam*. n. 1693 die 6. Dec. 1653.

Canonicos non esse cogendos ad genuflectendum nec tam intra nec tam